

vitatis^{a)} verbi^{b)} vere matris in vestre confusionis periculum sic facere credidistis, et discernite diligenter inter condicionem vestram pristinam et modernam, inter matrem veram^{c)} et novercam, inter vitam miseram et beatam, inter timidam et securam, et si prorsus mente capti non estis, inter liberos atque servos. Non igitur esse debetis in corrigendis erroribus tepidi vel remissi, qui sic ad errandum attentius fuistis liberi et securi. Vobis namque nimis expedit; mater appetit, vexator impetit, ergo competit, ut credat et redeat, quicumque^{d)} sic se noverce sine discretione commisit. Quam miserabilis et detestabilis est illa condicio! Quantum horribilis est^{e)} et odibilis illa vite finitio, si vita dici potest, in qua nullus audet dicere, si quid possidet: hoc est meum; ubi ius venditur, et si non emitur, nulli datur; ubi res personas non liberant et patris obsequia filium non excusant, ubi filia patre nolente corrumpitur, uxor invito marito tollitur; ubi nullo marito natas sine licentia tradere nec potest filios uxoribus copulare; fratre contradicente soror opprimitur, que, si^{f)} resistit, occiditur, et si conqueritur, exinde non auditur. Tollite manus ergo, surgite, qui sic turpiter cecidistis! Perdix perdicis alterius ova premens^{g)} gloriatur in filiis, qui ex ipsis ovis procreantur. Sed cum vere matris pulli irrationabiles pullos^{h)} clamantis vocem audiunt, ad propriam matrem redeunt, et quam secuti fuerant, derelinquuntⁱ⁾. Vos, qui rationabiles esse debetis, proprie matris vocem in animarum periculum et rerum et corporum contempnentes novercamⁱ⁾ vestram voracem et bibulam sponte sequimini, que sanguine vestro satiari non poterit^{k)}, nisi fractis ossibus anxia perveniet ad medullas, a qua nisi^{l)} celerrime^{m)} recedatis, vos in sui furoris impetu mater in confusione perpetua iam vobis facta noverca relinquet, et eritis filii perditionis²⁾ in generationibus vestris matre semper in sua gloria permanente.

^{a)} suavitatem Hs. ^{b)} verbum Hs. ^{c)} liberam Hs., vielleicht auch in liberorum zu verbessern ^{d)} folgt getilgt q Hs. ^{e)} übergeschrieben Hs.
^{f)} sic Hs. ^{g)} davor getilgt fovens Hs. ^{h)} pulli Hs. ⁱ⁾ animam Hs.
^{k)} poterunt Hs. ^{l)} folgt durch vacat-Vermerk getilgt fractis ossibus anxia perveniet ad medullas Hs. ^{m)} certissime Hs.

¹⁾ Diese Erzählung vom Rebhuhn findet sich im Physiologus; vgl. etwa F. Lauchert, Geschichte des Physiologus (1889) S. 20, 153 u. 176; F. J. Carmody, Physiologus Latinus. Éditions préliminaires versio B (1939) S. 45 f.; ders., Physiologus Latinus versio Y, University of California Publications in Classical Philology 12, 7 (1941) 125 f. Die Erzählung ist aber von dort auch in die sonstige Literatur eingegangen; so etwa Ambrosius, Exameron ed. C. Schenkel VI 3, 13, CSEL. 32, 1 (1896) 211; ders., Ep. 32, PL. 16, 1116; Isidor von Sevilla, Etymologiae XII 7, 63 ed. W. M. Lindsay 2 (1911).

²⁾ Vgl. Ioan. 17, 12 und 2. Thess. 2, 3.